

Anonimo

Itinerarium Friderici II imperatoris

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Anonimo

Itinerarium Friderici II imperatoris

1228-1229

Narratio qualiter imperator Federicus reacquisivit regnum sibi rebellatum quando accessit ad acquirendum Ierusalem et sepulcrum Cristi.

1. Imperator Federicus cum, in discessu suo ab obsidione Ierusalem, tribus annis erravisset per mare, deinde pervenit in Siciliam et scivit totum regnum esse sibi rebellatum preter Brundusium, quod tenebatur obsessum per gentem Ecclesie. Cui civitati idem imperator scripsit ut confortaretur, quoniam statim venturus erat ad dictam civitatem cum exercitu copioso.

2. Deinde pergens ad isulam Gerbarum, duxit ab illis partibus viginti milia Saracenorum et de partibus Sicilie decem milia armigerorum venitque Brundusium et a Brundusinis fuit cum gaudio magno receptus.

3. Gens vero Ecclesie hoc sciens conversa est in fuga. Ipse vero imperator statim scripsit omnibus terris famosis, ut eum deberent recipere. Ultimo metricè scribebat eis suum intentum.

4. Prima vero terra respondens quod eum intendebat recipere in dominum fuit civitas Andrie, et misit sibi quinque iuvenes filios, quinque hominum meliores et potentiores de terra predicta ob fidelitatem, ut melius de ea confidere posset, scribentes ei per hec verba:

4.1. Rex Federice veni, dux noster semper amatus.
Nam tuus adventus nobis est super omnia gratus.
Obsides quinque tene nostri signamine amoris.
Esse tecum volumus omnibus diebus et horis.

5. Secundo responderunt homines Tarenti quod nullo modo volebant eum in dominum cum iniuriosis et opprobriosis <verbis> ex eo quod dicebant quod ipse non

erat imperator, quia sciebant Federicum esse mortuum et occisum in partibus ultra maris. Quibus Tarentinis ipse imperator alias metricè scripsit:

5.1. Cordis in archa tene hec tua responsa Tarentum.
Nam cum tempus erit dabimus tibi iure talentum.

6. Cum vero imperator vellet ultra procedere fecit dici Brundusinis ut quamcumque gratiam vellent peterent a se. Ut exivit portas civitatis ipsius quandam cedulam infigi fecit in porta scriptam per hec verba:

6.1. Filia lune vale, cordis fidissima nostri.
Charius pro meritis te Federicus amat.
Pete quidvis a me: Federicus omne donabit.
Plus ceteris terris cara te semper amabit.

7. Brundusini vero habito consilio inter se, quoniam videbant imperatorem contrarium multis agendis disposuerunt tunc nichil petere sibi sed responderunt per hec verba:

7.1. Regia maiestas, multis maioribus aucta,
si placet intendas: nostra sint postposita facta.
Cum tibi quies erit, nullo rumore gravata,
tunc quodcumque dabis, nobis erunt munera grata.

8. Deinde imperator venit Barum pro eo quod sibi scripserunt quod eum volebant accipere. Et cum fuisset Barum mutaverunt consilium et quandoque promitebant eum recipere et quandoque negabant. Et tenuerunt eum in verbis multis diebus et deinde, cum sua sapientia sic egit quod receptum est [e]t multis multa mala distribuit et post hoc in porta civitatis ipsius in lapide marmoreo hos versus fecit scribi:

8.1. Gens infida Bari: verbis tibi multa promittit,

que velut imprudens statim sua verba remittit.
Ideo quod dico tenebis corde pudico:
fac nudos enses studeas vitare Barenses;
cum tibi dicit ave, velut ab hoste cave.

9. Deinde imperator venit Barolum ubi, multis iniuriis et contumelis repulsus, scripsit eis per hec verba:

9.1. Urbs Barolitana, que nutris capita vana, quare negas Christum, dicens non novimus istum?
Ut hodie sic cras Christum fortasse negabis.
Scito pro re vera: multa tibi dampna parabis.
Dabitis exemplum, spernentes sacrabile templum.

10. Deinde, cum vellet ulterius procedere, accessit Andriam et ibi cum palmis et gloria receptus est et ordinavit quomodo deberet expugnare Barolum. Et ut mandavit ita factum est et capta est terra vi et omnes qui inventi sunt capti fuerunt et de omnibus bonis ipsa terra expoliata est.

11. Deinde cum vellet ulterius procedere exivit Andria et, cum esset extra portas, Andriani omnes supplicaverunt ut Andrianis aliquam gratiam faceret. Quo fecit affigi cedula in portis civitatis ipsius scriptam versibus istis et deinde mandavit scribi in litteris argenteis in lamina ferri semper duratura in portis ipsius civitatis et infigi:

11.1. Andria fidelis, nostris affixa medullis,
absit Federicus ut sit tui muneris iners.
Andria vale felix omnis gravaminis expers.

12. Deinde tendens versus Fogiam, cum esset Salpis, venerunt ad eum syndici Tarentini offerentes sibi civitatem Tarenti, et ipse subridens dixit:

12.1. Grates ago Barulo quod cito currentes venistis:

ut credimus aliquid novi fortasse scivistis.

13. Iuxitque dictis sindicis redire ad eum post prandium, et iterum dixit Tarentinis per hec verba:

13.1. Querenti veniam aliquo pro crimine facto
dari debet venia: sic iubet Deus ab alto.
Tu noster hostis munitus ipse fuisti:
sint tibi remissa peccata quecumque fecisti.

14. Deinde accessit Fogiam, qui expresse renunciaverunt eum et, cum hora tarda esset, tamen scripsit eis hos versus per hec verba:

14.1. Fogia cur me fugis cum te fecit mea manus?
Ut video tibi est rector de capite vanus.
Non bene noscebam tuos, mala vipera, mores.
A longe credebam te michi pandere fores.
Per facta maiorum capiuntur facta minorum.
Aspice Barlettam que tenet vertice cristam.
Doleo si cogitur te ledere factio nostra,
sed si vis ledi culpa erit et lesio vestra.
Nox funditur terris: quid sis actura videbis.
Ut hodie sic cras incepta lege manebis,
per caput hoc iuro semper sine fine dolebis.

15. Fog[iani] vero videntes quod se tenere non poterant, duxerunt imperatori victualia multa eo sero et sequenti die assignaverunt sibi claves terre et habuerunt pacem.

16. Deinde scripsit Troianis, qui responderunt sibi quod si imperator erat volebant se reddere sibi, aliter non. Que rescripsit eis ut mitterent ad eum secure aliquos de Troia qui dudum cognoverant eum et mitterent sibi foragium pro se et suis. Quo viso miserunt ad eum duos milites notos imperatori, videlicet dominum Raynaldum

de Tanchredis et dominum Riccardum de Mandama, qui cognoscentes quod imperator erat retulerunt Troianis. Sed quia Troiani mutaverant consilium sub dictu aliquorum de Troia propter invidiam voluerunt quod illi milites dicerent quod ille non erat imperator Federicus: quod illi dicere nec facere voluerunt. Propter quod ad rumorem populi occisi sunt. Deinde miserunt imperatori quandam quantitatem panis, aceti et ceparum pro victualibus suis et suorum et remisit eis et magnus dolor oppressit eum de morte militum et scripsit Troianis per hec verba quasi subridens ab extra:

16.1. Troia grates ago quod munera cara donasti.
Cepis et aceto pane pie nata cibasti.
Nostra messis adhuc viridis suo iacet in agro. Ideo
messoribus nondum cibaria paro.
Dona que remittimus pro vobis ipsa reserba
donec redibimus urbs tua metenda sit erba.

17. Deinde per plures dies post hec iterum misit Troianis duos fratres predicatorum si possent eos reducere, quos Troiani similiter occiderunt. Quod sciens imperator valde turbatus accessit versus Troiam et scripsit eis [per hec verba]:

17.1. Troia serpens longa multi repleta veneni
adhuc te faciam passu procedere leni.
Troia serpens furens multi repleta furoris
te faciam numquam eri exemptam meroris.
Troia sus, luctuosa mater, alumpna doloris:
capitis et caude trunca stabis omnibus horis.

18. Deinde, capiens viam versus Terram Laboris, cum fuisset versus Nolam apud Sanctam Crucem de Portula, vertens se apud Apuliam dixit:

18.1. Reddita imperio tota est Apulia nostro.
Respondit quidam de astantibus: "preter Troiam".

19. Et tunc imperator respiciens Troiam posuit manum suam super caput suum et dixit:

19.1. Troia de promissis si nostra cura desistat
non sceptrum manibus nec corona vertice sistat.

20. <...>

Ara dei Iani, que camera nostra fuisti,
nunc hostis effecta, nostra legata fugisti.
Andria tua soror te multo prudentius egit:
que leta venit ad nos non nostra poemata legit.
Propter hoc incolumis remansit ultima nobis.
Quod tibi non erit multis implicita globis:
quod fugiunt homines aliena pericula docent.
Sed tu seva petis que tantum pessima nocent.
Certe tibi Barolum bene poterit esse magister
ni tibi quod Deus est propter lata sinister.
Credo quod confidis montis stabilita per altum.
Non tibi plura loquor, aliis intentus agendis.
Monstrabit reditus quid sit offensio grandis.

21. De[inde a]ccessit Boniventum, quod noluit eum accipere. Et expugnans eum violens accepit et eius menia in terram proiecit et homines male tractavit et ab inde recedens sic scripsit:

21.1. Urbs Boneventana tibi sint tua menia plana.
Amodo semper eris Maleventum de Bonevento.
Quod pateris merito patienter ferre memento.

22. Deinde accessit ad Terram Laboris et habitis Neapoli, Adversa et Capua et totum regnum suo imperio redditum est. Et anhelans in vindictam Troie redivit ad eam

expugnandam cum adiutorio illorum de Mandama, civitatem Troianorum devicit ac cepit eam et quosdam detruncari fecit, aliquos eorum suspendio fecit tradi, quosdam truncari capita fecit, alios occecari fecit et aliquos detruncari nasum et alios in exilium ut numquam Troiam amplius redituros. Menia civitatis et domos omnium nobilium per terram prostrari fecit preter domos de Tanchredis et de Mandama. Viris vero probis de Mandama magnos honores et gratias tradidit eo quod in capiendo civitatem sibi auxilia porrexere. Deinde fecit seminari sal per totam civitatem. Caput et caudam civitatis ipsius sicut promisit obtruncavit ipsamque omni honore et dignitate privavit.

23. Post hoc retrocessit et cum essent omnes penes Sanctam Crucem de Portula, convocatis omnibus secum, per gentibus ostendens eis Troiam digito, dixit:

23.1. Quod patitur Troia videat nunc quisque fidelis:
proditione sua vocibus nunc spirat anhelis.

Ipsa superba stabit semper sine capite corpus
et sine pedibus truncisque manibus erit.

Que sapore caret semper salita manebit.

Hoc per Raynaldum munus habeatque Riccardum.

24. Post hoc timore et speculo Troie reditum suo imperio Arianum, multos de terra ipsa fecit crudeli morte perire. Post hoc regnum totum possedit in pace, guerram semper cum ecclesia gessit et papam male tractavit omnibus diebus vite sue.

Amen.